



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

De profectone Hierosolymitana. Cap. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

ingrati animi vitiū ita debellauit, euul-
sitque radicitus, vt postea quotiescum-
que salus animarū, aut Dei gloria po-
stularet, sua non minus bona, quā ma-
la sine vlla prorsus cenodoxiæ titilla-
tione palàm & ingenuè expromeret.

De profectiōe Hierosolymitana.

Cap. XI.

INTER hæc anni ferè spatio exacto,
partim spiritualium rerum scientia
instructus, partim etiam arte quadam
& consuetudine regendarum anima-
rum imbutus, cum nihil vulgare aut
exiguū agitaret animo, sed egregia
quædā & ardua in Dei gloriam ab ipso
conuersionis initio concepisset; Hiero-
solymam, quod iam dudum habebat
in votis, petere omnino constituit, nō
tam vt Christi Domini sacratissima in-
cunabula cerneret (tametsi id ipsum
vehementer optabat) quàm vt in con-
uertendis ad Euangelij lucem infideli-
bus, qui ea tenent loca; vel operæ pre-
tium faceret, vel certè martyrij palmā,
cuius auidissimus erat, acquireret. Sed
hoc suum de prædicando Euangelio

D 3 con-

consilium, vitandæ scilicet humanæ laudis causa, nemini prorsus aperiebat: peregrinationis verò propositum, cū necessario amicis patefecisset, multi primum id ei multis rationibus dissuadere, obtestari etiam & orare, ne populum ab se nuper è somno vitiorum excitatum ad studia virtutis pietatisq; repente desereret, neu se ipse, affecta præsertim valetudine, itinere tam longinquo ac tam periculoso committeret. deinde cū nec precibus nec suasiõibus eum de sententia demouere possent, instare saltem & vrgerè, ne incommittatus abiret; multa posse in tam remotis ignotisq; sibi regionibus, ac tanta rerum humanarum varietate cõtingere, quæ præsentem cuiuspiam fidelis opem solatiumque requirerent. Omnino probabilia videbantur afferre, & humano iudicio rem æstimantibus, etiam necessaria: nec vero deerant homines impigri, peritiq; linguarum, qui sese illi comites laboris ac periculorum libèter offerrent. Verum Ignatius, quærat animi altitudine, in cœlum semper intentus, atq; à diuina prouidentia

vf-

vsquequaque pendere mirabiliter cupiens, amicis omnia sua in eum studia profitentibus ita remisit, vt diceret, in præcipuis hominis Christiani virtutibus, non modo fidem & caritatem esse, verum etiam spem. Eius porro comparandę gratia, certum sibi esse, enō modo sine viatico, sed etiam sine comite iter id ingredi, quòd clare perspiceret, si, qualia multa possunt homini accidere, peregrinanti præsertim, sibi quidpiam euenisset, fieri non posse, quin aliqua saltem ex parte comitis præsidio fideiq; consideret: proinde quidquid in eo spei locasset, id vtiq; ex ea detractum iri fiducia, quam totam in vno Deo clementissimo parente ac rectore vellet esse repositam.

Nauigat in Italiam.

Cap. XII.

HAc igitur mēte sub initium anni M.DXXIII. magno omnium dolore Minoressa profectus, venit Barcinonem, vt in Italiam ex eo loco trajiceret: cumque peropportunè paratam ibi nauem offendisset, egit cum nauarcho suppliciter, vt se mendicū egē-

D 4 tem-